AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA

DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IX. MENSIS DECEMB.

Magiſtro MICHAELE TOVTAIN, Doctore Medico, moderatore. 620

An ſcreatus frequens in acutis phreniticus?

CORPVS & anima vt functionũ conſortes, ſic affectibus mutuis conſociantur. Nullibi æterna quies, pax, diſcordiæ; ſymmetriæ, ametria interpolantur. In ἰσονομίᾳ vtriuſq; ſanitas, vt ægritudo in ἀνωμαλίᾳ, quæ ſpirituum vinctu vtriq; impertitur. Quicquid illud ab animi pathematis, periculosè nonnunquam patitur. Hæc licet ἀναλλοίωτος, corporis tamen morbis condolet, obliuione, morum diſſimilitudine, & viſis mendacijs. Huius luctuoſi diſpendij, parens eſt humorum diſpartitas in quantitate & qualitate; in cerebri quippè puppi ſtabulatur humor frigidus & humidus, quaſlibet ſoporoſas affectiones inducens, vbiq; non malas, quibus patent homines ingenio ſupini, ſenes & pueri. Lethargico, licet principũ functionũ dẽtur induciæ inſignis tamen eſt obliuio rerũ vitæ vtilium, cũ rarâ ſpiratione, oſcitatione, excremẽtorũ retẽtione & excretione; vt à tremore & alui fluxu cõmoriantur, niſi cæteris remedijs præmittatur phlebotomia, aut ſuppuratus euadat. Alius ab eo craſſus & fęculentus humor, qui ſuo lentore parit motus tarditatem, mentis ſegnitiẽ, ſpiritus velut tenebris offuſi metum incutiunt: hinc deliriũ ſine febre, quod alienorum cogitatione confuſâ exprimitur, metus & mœror melancholię ἀχάριστα ſigna in his latent fraus & perfidia, in ſuſpicione ſolitudo & ſilentiũ quęruntur. Sed deterius malum, quod cum æſtus humoris huius exceſſu; melancholia ſiquidem aſſiduis vigilijs, amore, triſtitiâ, irâ frequenti, iugibus ſtudijs & mero generoſo exuſta maniam accerſit variamq; ipſi menti figit perturbationem: hinc mens præpoſterè diſcurrit, proteruè loquitur, ex ploratu in riſũ, ex rixâ in quietem, mutuus eſt tranſitus iſque conuulſiuus: clamor, fuga, furor in notos & ignotos, minis dentibus & pugnis, cum habitu ſqualido, horrendo vultu, & acceſſu infido conſequntur. Quibus tamen ſalubriter defungitur ſuperueniente dyſenteriâ, hydrope aut exſtaſi.

IN deſipientię genere ſuperbit phrenitis, quæ plura toto corpore cum febre molitur, indecorè moribus inconditè ſuis functionibus, & infauſto exitu. Igneſcunt meninges & cerebrum flammâ & fumis perpetibus, à quibus ridicularum actionum crebra viciſſitudo: hinc malè habent ægri, omnis figuræ, loci & ſitus impatientes, viſcera incendio flagrantia calorem viuificum attrahunt, depaſcuntur vires exſoluuntur. Facultatis eſt decuſſæ ſupinũ iacere, ceruice & manibus hucilluc extentis, pedibus alſioſis, nudatis, nullo decore ſeruato decubitu; furioſum dentibus ſtridere; in pedes repentinus delapſus vt ineunte morbo vliginoſi neruorum principij, ita vigente affectu, effœti ſignum. Hæc ſiquidem iniuſſu ab humoris orgaſmo, feritate & oppreſſâ facultate cum ἀλύσμῳ ęgrũ ad fauces orci peſſundãt. Longè eſt à vitæ genere morum inſitorum & inſtitutorum diſſimilitudo, maximè ex temperamenti alteratione. Hinc fit vt homines pituitoſi, irarum æſtu fluctuant: melancholici aſpectu & incerto vultu ſunt, hilari facie & ridibunda, omnibus gratioſi. Homini compoſito proterua reſponſa inauguratò adueniũt, quia naturæ diſſimilia: bilis enim calore febrili ignita feritatis fit parens, ab eâque cerebrum proritatur, inſolita molitur in moribus, victu & remedijs, cœptis immanibus effera, implacidæ vigiliæ, ſomnus nullus, aut ſpectris quibuſdam & clamoribus interpellatus: bonum ſi memorentur inſomnia: infida ſpes ſiti immeritò ſedatæ; Natura nihil quicquam repentinum, vel patitur aut aggreditur in ſignis, tum bonis tum malis, & morbi remiſſione: inſidioſa eſt phreneticis leuatio, quâ deſeuirę videntur, cum febris remiſſione & per inferiora excretione; tremore enim finem morbi faciunt, aut in peripneumoniam μεταῤῥύσει.

AT verò excrementorum vis non parua ad morbum diagnoſin & iudicium, maximè ex eorum quantitate, qualitate & tempore, quibus morbus, morbique ſtatus coctione aut cruditate deteguntur. Corporis ſiquidem ſanitas vt nutritioni, ita & partium noxæ excrementis mancipantur: vnde morbi penè omnes ſoluuntur, lotio, deiectionibus, ſudore, vomitu. Anne febrium intermittentium & continuatum, vt in venis materia ſtabulatur, ita per eaſdem facilior excretio? Eſt ne viſcerum illuuies alui ſolutione repurganda? Vacat periculo, experſq; palindromes cuiuſlibet humoris toti corpori infarcti per vomitum, aut liberalem ſudorem vacuatio. Sed his omnibus præſtant ſingularum partium excrementa ſingularia, in his veritas elucet, ſedis affectæ actionem & dolorem arguunt. Vrina cocta, panotidis adhuc crudæ conſectanea, infida creditur. Hydropico nihil optabilius, quàm vt aquæ in aluo ſtagnãtes liberè & liberaliter excludãtur, cui ſudores prorupti vires exoluunt, naturamq; labore fatigant. Pleuritici egeſtiones laudabiles parui ducuntur, niſi expectorabilis materia pepaſino mitificata per ἀναχρέμπτειν breui excludãtur: hinc enim pleura humore morbifico onuſta exuitur, corpus periculo defungitur. Cerebrum vt cęterarum partium maximum, ita frigidi ſedes & humiditatis principium, ab infernis exſpirationes omnis generis exhaurit tenuium & craſſorum: illa fuliginis inſtar per inſenſibiles ductus ſurſum exſpirant; hæc per proprios helices huic ſoli purgationi dicatos excernuntur. Hinc mucoſâ ſpurcitie inebriatum cerebrum, plurimos ſuæ vtilitati per palatum in os eructat. Screatus, quibus expeditum, crebris ſeſe vindicat affectibus.

EST autem frequens ſcreatus phrenitidis eximiæ argumentum ab inani conatu ſputandi, nullibi materies deſidet, ſed furit rapiturq; vagâ ab vna parte cerebri in aliam, in quo diuerſa parit ſymptomata memoriæ, iudicij, & imaginationis; ſed à bile impendiò crematû partes nectare viuifico, humoriſq; ſcaturigine carentes, exareſcũt. Nulla fit rei moleſtæ ſenſio, quia facultatum infractio, vnde qui ab aliquâ corporis parte dolentes, dolorẽ non ſentiunt, ijs mens ægrotat. Lingua quæ ſaliuæ fontibus madebat, riget, exaſperatur, hiulcat. Fruſtra tamen ab eâ aſſidua ſcreatio, erroris animi in ſenſu communi ſiccitate præpediti indicium. Fallimur ab externis & internis, quibus aures tinniunt, foris ſonus ſe audire putant: falluntur in ſuffuſione, qui ſibi videntur muſcas & feſtucas obuerſantes videre. Phreniticorum inſolitæ feritates, quibus ſe ab inimicis pungi & percuti falsò imaginantur, ſpiritus in cerebro confuſos & turbidos teſtantur ſpecies inauditas elicientes. Hinc fit, vt melancholicorum ſilens ſit dementia, phreniticorum nugigerula. Illa à ſpiritus humore craſſo aut nigro obſitis mali præſentis & futuri opinionem ex mœrore & metu animo inducit; hæc tenuitate & ſpirituum mobilitate parit inconſtantiam, opinionum varietatem, diſſimiles imagines verborum inſanâ ſerie inexplicabiles loquacitatem excitant.

IN actionibus voluntatis patent exceſſus & defectus; phreniticis ab humoris motu & mixtione, noua viciſſim ſuccedunt: alij in riſum & audaciam, alij in lachrymas & mœrorem effunduntur. Riſus, è fonte ſanguinis feruentis cerebrum & membranas, imbuentis, à quo non leuis ſpes ſalutis, grauioris morbi fit vindex: hinc deſipiẽtiæ cum riſu minus periculoſæ: hinc pueri & εὔκρατοι raro acutis morbis obnoxij. Audacia plena eſt feritatis, à bile incendio febrili aſſatâ, in quâ ægri ſic efferati calcitant, pedibus feriunt, excandeſcunt, quos à conuulſione & tremore vindicant, profuſa ſudoris calidi vbertas, aut hemorrhagiæ fluxus; triſtitia feritatis fœtura, mores hominum moros & moroſos efficit, tetricos & peroſos. Mentem denſis & pullatis humoribus ſtipatam terrore afficit: eique externâ quamcumq; ſpeciem horridè & corrugatâ fronte recipiẽti, cum mœrore, rerum honeſtarum magiſterio interdicit. Hinc omnis decori vacuitas, turpia pro honeſtis, falſa pro veris habentur. Illud phantaſiæ vitium, quod ſpirituum mobilitate, aut natiui caloris cerebri paupertate, rerum præſentium ignorationem, & præteritarum obliuionem adduxit. Vnde quæ à rigore incidit amicorum ignoratio mala, vt & obliuio, quæ in excretione iniuſſa, ſenſus & volũtatis ἀναισθησία peſtifera, ſemper indicatur. Vtriuſq; principatus ſumma imbecillitas & deprauatio arguitur naturalis & animalis. Quò plures ſunt in vitio facultates, eò minus, ægri morbi periculo defungũtur. Sicq; cũ phreniticorũ actiones alterati cerebri extraneâ tẽperie, mẽtis imperio nõ regantur, tãdem rerum omniũ cõſequitur cõfuſio & perturbatio.

Ergo ſcreatus frequens in acutis phreniticus. 67

Proponebat Lutetiæ CYPRIANVS HVBAVLT Pariſinus, Anno R. S. H. M. DC. XXI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Joannes Bourgeois.	*M. Claudius le Pois.*	*M. Michael de la Vigne.*
M. Mauricius de Montrœil.	*M. Ioannes Martin.*	*M. Ioannes Tournier.*
M. Guillelmus Gyon.	*M. Michael Seguin. P. R.*	*M. Iacobus Perreau.*